Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25962
Copyright: Admont, Benediktinerstift

mittet pat̄ in nō̄e meo · ille vos docebit om̄a. Et alio loco quod ipse
hunc mittat ostendit. Si enim non abiero paraclytus non ueniet ad vos.
si autem abiero · mittam eum ad uos. quia nimirum una est in diuinitate sub
stantia · inseparabilis operatio · patris & filii & eiusdem spiritus sancti. Nam & de ipso
spiritu quod sua sponte ueniat ubi uelit sua potestate operatur quae uelit
testatur filius ubi ait. quod & supra commemorauit. Spiritus ubi uult spirat.
H aec omnia inquit apostolus operatur unus atque idem spiritus. diuidens singulis
prout uult. Iccirco autem super eum in quo semper manebat baptizatum spiritus
descendere ostenditur: ut a baptista ipse celsius quem praedicare ostende
ret. & credentibus dare in dicium neque quemquam nisi baptizatos aqua spiritus
eiusdem posse baptismatis mereri. Quaerendum interea quomodo speciale
filii dei agnoscendi signum fuerit quod super eum descendere & mansere
spiritus. cum eum discipulis ipse promittat dicens. Et ego rogabo patrem & alium
paraclytum dabit uobis ut maneat uobiscum in aeternum. spiritum ueritatis.
Et paulo post · quia apud vos manebit & in uobis erit. Si enim apud
seruos dei deceptos manet & in illis erit spiritus. quid magni est filio dei quod
in ipso manere spiritus astruatur. Notandumque quod semper in domino maneat
spiritus sancti. in sciis autem hominibus quamdiu mortale corpus gestauerint
partim manet in aeternum · partim recedit. Manet quippe apud eos ut bonis insistant actibus. uoluntariam paupertatem diligant.
mansuetudinem consequantur. pro aeterno desiderio lugeant. esuriant
& sitiant iustitiam. misericordiam. mundiciam cordis & tranquillitatem pacis amplectantur. Sed & pro obseruatione iustitiae persecutionem
pati non uereantur. elemosinis. orationibus. & ieiunis. ceterisque sciis fructibus insistere desiderent. Recedit autem ad tempus. ne semper infirmos
curandi. mortuos suscitandi. daemones eiciendi. uel cetera prophe
tandi habeant facultatem. Manet semper ut possint habere uirtutem.
ut mirabiliter ipsi uiuant. Venit ad tempus. ut cetera alius per miracula